

**Ihesus**

dominica  
in octava  
pasche tit

**14 III**

Nh  
1236



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI;  
DN. DAN. LVDOLPHI;  
LIB. BAR. de DANCKELMANN;  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

DL 7

T.  
78  
II.  
III.  
IV.  
V.  
VI.  
VII.  
VIII.  
IX.  
X.  
XI.  
XII.  
XIII.  
XIV.  
XV.  
XVI.  
XVII.  
XVIII.  
XIX.

# INDEX SCRIPTORUM OMNIUM

et nomine hoc comprehensorum ..

- I. Gratulatio ad Christiam II. Electa-  
zem Sigonio Jacobo Scholtze l. v. D.
- II. Oratio Parentalis Fracimo Friderico Duci  
Lynae Bregensi Breve salutis.
- III. De Vita et Morte M. Laubani.
- IV. Oratio Funeraria De Christiano s. Electore  
Suevoniae. Matthaei Praeserii.
- V. Oratio D. Homini saluta Wraetga in anno  
jubileo 1.
- VI. Oratio Liberi ibidem saluta. 2.
- VII. Oratio D. Person. 3.
- VIII. Oratio D. Scholastic. 4.
- IX. M. Schmidt. 5.
- X. Rodomanni. 6.
- XI. D. Zangeri. 7.
- XII. Trilogia D. Akeri de Vita Homini.
- XIII. Examen D. Homini Praefationis Wille-  
lmi Bauarii.
- XIV. Exoro nro Salu. M. Martini
- XV. Collationem Graevii.
- XVI. Theor. Theologicae de Communi coe  
Lokomationi Wicetari
- XVII. Disputatio De Geni. Dni Franzii.
- XVIII. Disputatio D. Geometri ex Geog.
- XIX. Decar Questionum Mathematicarum  
D. Pehleri.
- XX. De Natura Ethic Theoretica D.  
Pehleri.

- XXI. Disputatio de officio Testa-  
menti D. Fromeri.
- XXII. De Consciencia Testamenti D. Ambrosii.
- XXIII. Barabasi Lynia Prophecia Tomae  
M. Loretani.
- XXIV. Gratulatio Chingxi Imperatoris dicata.
- XXV. Ingressus Wicetari in M. Motti.
- XXVI. Gratulatio in Kabelem I. Rodolphi  
Principis Anhaltini Anhaltini et in  
eius de M. Motti.
- XXVII. Ecloga Rodolphi Besmanni.
- XXVIII. Elegiam obitum Wicetari  
negli Principis Anhaltini M. Tenzelii.
- XXIX. Epitaphium ad Johannem Georgium  
Motti Anhaltini Koppi ab Aeterna
- XXX. Carmen Colurae Besmanni.
- XXXI. Her Anhaltinum M. Selimi.
- XXXII. Epithalamium in Vestiar Rodol-  
phi Principis Anhaltini M. Fortschii.
- XXXIII. In Doctorato Jacobi Hebergeri.
- XXXIV. In mptia Profmanni.
- XXXV. In mptia Alberti a Wittenauer.
- XXXVI. Johannis Crispi.
- XXXVII. Christi am Dni Kouii.
- XXXVIII. Martini Zehi.
- XXXIX. Johannis Grobii.
- XL. Johannis Noelezi.

XLII. Nuptii Wolffgangi à Bergen.  
XLIII. Petri Mathiasii Wesenbarii.  
XLIII. Andree Orlovitii.  
XLIV. Jacobi Fingeg.  
XLV. Valerii Rudingeri.  
XLVI. De Olivo Bernhardsi Knuffii  
Anhaltini Berghum;  
XLVII. D. Andrew. Rauriaci.

<sup>xix</sup>  
DECAS  
Quæstionum Medico-physicarum  
DE  
VENENIS IN GENERE.

Quas

D. O. M. A.

.. SVB PRÆSIDIO

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI,  
Dn. SIMONIS PETISCI, M. D. MATHEMA-  
tum in Celeberrimâ Heidelberg. Academia Pro-  
fessoris, Facultatisque Philosophicæ ibidem  
pro tempore Decani spectabilis; Pa-  
troni sui observandi,

*Publico Philosophorum & Medicorum examini  
subiicit*

TOBIAS HERVIGIVS Servestanus,  
Φιλίατῆρ. P. C.

*Ad diem XXVI. Ianuarij.*

IN AVLA MEDICA.



HEIDELBERGÆ,  
E Typographeio Iohannis Lancelloti.

C I S I S C V.

*Ornatiss. Viro,  
Dn. Joanni Breiten-  
bacio, p. fratri  
suo cariss*

17

*Autor*



ILLVSTRISSIMIS  
ET GENEROSISSIMIS  
PRINCIPIBUS, AC HEROIBVS  
INCLYTIS,

Dn. IOHANNI GEORGIO,  
Dn. CHRISTIANO,  
Dn. RVDOLPHO,

Fratribus: Principibus Anhaltinis, Comitibus Ascaniæ, Do-  
minis Serveftæ & Bernburgi &c. Dominis suis elementis.

*M*agnanimi Heroës, quibus Ascanis ora superbit,  
Numine sub quorum Sacra Forumq. vigent!  
Pro Strenâ vobis faustum qua nunciet annum,  
Exiguum munus nostra Thalia sacrat.  
Vos solitâ bonitate boni mea prima pericla  
Consultite, & placidâ fronte favete mihi.  
Si superest aliquid Lachesi, geminaque sorori,  
Quod possint fufis addere Fata meis:  
His etiam maiora dabo. Sic flumen in altum  
Cernimus augeri qui modo rivus erat.  
Fallor van opiato mea figitur anchora portu?  
Non frustra saliunt viscera, corq. micat.

V. V. V. C. C. C.

Subiectis. civis.

Tob. Heruvigius Anhalt.



Qu: I. An Medico & Philosopho  
de venenis ager liceat?



Nam dubitãdi Plinius dedit, qui lib. 30. cap. 16. Aristotele in magnã incurrisse infamia, memoria prodidit, quod Venenum Aqua Stygis, fontis ad Nonacrin Arcadia, non nisi unguulis mularum, aut vasis ex iis confectis (reliqua. n. corrodebat omnia) contineri posse docuerat: siquidem iis postea aquis ex insidiis & scelere Antipatri Alexander e medio sublatus esse creditur. Unde Ant. Caracalla Imp. Alexandrum non sine culpa Proceptoris interuisse suspicatus, & Aristotelem, & eius sectatores capitalis semper odio persecutus est, adeo ut illius libros omnes igni abolere voluerit: hos vero Alexandria Egypti omnibus privilegiis exuerit. In hunc modum Gal. de caus. procat. refert, novercam à Medico emtum venenum, dedisse seruo, ut propinaret privigno: mortuum hunc esse, & scelere patrem factò, non seruum dixit axat, & novercam, sed & Medicum pœnas dedisse. Ita Mercurialis. l. 1. de ven. Theophrastum taxat, quod l. 9. h. st. plant. c. 16. 17. modum tradiderit parandi aconitum adine vitabilem, & curiam ad celere interitum: Unde concludi posse videtur, Venenorum noticiam abolendam esse, ut nefario sceleri occasio praecidatur. Verum enim verò, ut veneficij quidem scelus omnino execramur, ita cognitionem naturæ venenorum, à ad preservationem quàm ad Curationem, Medico planè necessariam esse affirmamus: ut ille nimirum alios pramonere possit, ne venenis insicij pro alimentis utantur, veluti rusticum radicibus cicuta pro radicibus sylvestris pastinaca comestis in vita periculum incidisse, refert Matthiolus: Et Serveste Anhalinorum tres pueros seminibus hyoscyami pro papaveris semine, devoratis ad insaniam redactos meminimus. Quare commendatione potius, quàm reprehensione digni sunt, Nicand. in Ther. & Alexip. Discor. lib. 6. & eius Comm. Matthiol. Aetius, Avicenna, Arn. Villanovanus. P. Apponensis. Cardanus, Mercurialis, & alij, quot quot doctissimis suis commentariis

A :

venenorum

Venenorum naturam, vires, symptomata, Precautionem & Curationem poteris tradiderunt, ex quibus instar apicularum, in succum & sanguinem nostrum vertere possimus, quae ex usu nobis fore crediderimus. Taceo, quod casus venena in usum salubrem converterit, ut de vino viperino monet Gal. 11. simpl. De scorpione, 3. loc. aff. 7. Sic Cantharides in hydropo & suppressione urinae: Euphorbium in peste, & hemorrhoidibus proliciendis adhiberi solent. Aliud itaque est, scire & tradere naturam & usum rerum naturalium: aliud tradere abusum. Usum scire & tradere licet, quantum ad salutem, non quantum ad perniciem. Abusum, a scire, malum. Docere pejus, scribere pessimum.

## 2. Quid & quale sit Venenum.

Patebit hoc ex veneni definitione & divisione. Definimus, quod sit pharmacum seu medicamentum exitiale, quod tota sui missionis ratione, & hinc emergentibus proprietatibus, animantium, in primis, a hominis natura, vel temperamento, vel toto genere est infestum, eam corrumpens, vitamque destruens. Pharm. dico exitiale, quod Graeci Φαρμακον οδον, Jacovotimon Φηροποιον etc. vocant: Est enim το Φαρμακον εν τει μεσων, tam venenum, quam eius remedium denotans. Ita certe Homero 4. Odos, Φαρμακα ποικα μεν εδρα μεμυμενα, ποικα δε λυγροα. Ac consentit ipsa Etymologia, cum dicatur, quod φερον τει ανθου, medelam, vel το ανθου, dolorem. Denique medicamentum plane in hunc sensum definitur 1. simpl. 1. & 3. simp. 4. quod sit αλοιοτιον της φυσεως: cum alimentum sit α υξητων της ουσιας; Per totam a. missionis rationem intelligimus ιδιοσυκρασιον temperamenti in certa materia, qua habet rationem formae ipsius veneni, quae venenum est venenum, de qua re alibi plura. Dividuntur. a. venena varie. Primo. n. Diosc. secundum materiam subiectam, in qua malignitas venenata haeret, alia ex mineralibus seu fossilibus sumi docet, ut Antimonium, A. senicum: quibus accensetur ab aliis Adamas & Magnes: sed minus recte, si Garzia ab Horto fides habenda. Alia ex Vegetabilibus, quorum vel folia & herbe in usum veniunt, ut aconitum, cicuta, vel semina, ut hyosc. Coriand. vel succi, ut opium, opocarpasum, succus lactuca in nimia quantitate sumtus teste Gal. 3. simp. 18. vel radices, ut chamaleon, nappellus: Vel denique, ex animalibus: Et tunc vel ipsa integra animalia & cornu membra aut in pulverem redacta, aut in sanem liquata exhibentur, ut viperæ, Cantharides, busones, Salamandra, Sanies viperina: Carnes quadrupedum rabidorum, fulmine ratorum, aut peste extinctorum: testibus Fernel. 2. de abd. r. c. 14. Matth. in Diosc. l. 6. item Cerebrum Cati, extremum cauda cervinae, & c. Veleorum humores, ij. aut alimentarij, ut sang. Tauri, quo peritit Kemistocles, Sanguis Cati, viperæ. Aut corrupti, ut sanguis mestrinus corruptus, cuius maleficium descripsit Plin. lib. 7. c. 15. lib. 28. c. 7. Semen putrefactum.



Etum. Lac in mammis concretum. Pus in bubone pestilentiali genitum ( quo  
vsunt Vespillones Lipsenses ad luis seminarium propagandum ) Sanes bubo-  
num morbi Gallici, &c. Vel eorum Excrementa, vt saliva Canis rabidi, Vi-  
pera, & aliorum serpentum, inprimis eius, qui a spui virulentia insigni Pityas  
dicitur. Itē urina bufonum & glirium praesertim stimulo venereo agitatorum.  
SECVNDÒ, ab utendi modo. Alia assumuntur intrò, sub alimenti vel me-  
dicam. specie: Alia extrinsecus admoventur, & per singula sensoria corpo-  
ri se insnuant. Sic Basiliscus, & Catoblepas dicta bestia, oculorum acie mali-  
gna & sibilo tum homines tum alia animantia interficere dicuntur. Gal. l. de  
ther. ad Pis. Plin. l. 8. c. 21. Solin. c. 30: De quo tamē dubitat Matth. in 6. Diosc.  
cum Galeno 10. simp. 1. Ita fascino sit oculis malignis & lippis. Auditum le-  
thalis esse creditur serpens in Nubia, qui Regulus dicitur. Agricola verò  
vulnus a serpente immissum oris suctu curare tentatē, solo sanguinis vel sa-  
nis effluentis gustu mortuum concidisse, testatur Matth. in praef. in 6. Diosc.  
Odore infesta est Taxus arbor: quò pertinent vapores metallici. specus sub-  
terranei, lacus, paludes Memphis terrā exhalant. Quo referrī possunt vapo-  
res crassi in cellis vinariis aut mustaceis contenti. Item Chirotheca maligne  
perfumata. Flores omniū generis subtili veneno infecti, &c. Tactu deniq; exi-  
tialia sunt, quae cunctis, vel cutim integram erodunt, & putrefaciunt, vt Carba-  
retica & septica. v.g. Mercur. prapip. Arsenic. Risogallum. Vel per occultos  
meatus & poros sese osculis venarum & arteriarum insnuant, indeq; latius  
serpunt: vt est, quod Ephippius & stapedibus illiū in corpus infessoris pene-  
trat. Ita vestes seminario luis venereae, pestis, lepra &c. infectae, alios homines  
uis utentes inficiunt. Vel deniq; per vulnera corpori sese inferunt, quod fieri  
videmus moribus venenatarū bestiariū, telis venenatis, qualia erāt Parthorū

Qui mortis saevo celerent vt vulnere caulas.

Omnia vipereo spicula felle linunt:

Ouid. l. de Pont. El. 2. Fiebant. n. ex sanie viperina, & cruore humano. Plin.  
II. c. 52. Lucan. l. 3. Item succus Dorychny, Diosc. l. 6. c. 6. Succus solani som-  
niferi, & alia, quae hic recensere nimis longum foret.

TERTIÒ, a facultatibus, quibus agunt. Alia manifestis utuntur qualita-  
tibus, in summo gradū excedentibus, quae propriè Deleteria dicuntur. Alia  
occulis, quae propriè venena vocantur: quemadmodum Gal. 3. simp. 18. 19. &  
22. diligenter ea persequitur. Occulta a. proprietates nihil aliud est, quàm pro-  
portionatae Elementorum mixtionis ratio; quam idioτυμια vocant, quae  
cum plerumque nobis ignota sit, occulta dici consuevit: quamvis illam pro-  
prietatem manifesta qualitates ut plurimum adiuvēt: Sic in napello calidi-  
tas, ad resoluendos spiritus & humores: In cicuta, frigiditas, congelando eos-  
dem: &c. id quod h. l. pluribus explicari non debet.

3. Quo

### 3. Quomodo Venena actuentur, & in nos agant.

Cum mediamenta omnia non actu, sed potentiā dumtaxat talia sint, & non nisi à Calore nostro in actum deducantur, mirari aliquis possit, quomodo hoc fiat? Neg. n. videtur cōsentaneum, ut Calor noster, qui natura instrumentum est, veneno natura inimico, arma quasi suppediet, & agere illud faciat. Dicimus ergo, Calorem nativum non per se, sed per accidens venena acturare. Dum. n. in conficiendo cibo, eoq; distribuendo semper est occupatus, necessario calefacit, quacunque in corpore reperit, & inter alia etiam venena: non quidem intentione natura, sed actione communi & sibi innatā. Calidorū. a. venenorum actus facile prorumpit, cum sc. in vaporem qu. sponte suā se convertat, hinc per totum spargatur. Frigida v. tum attenuatione, quia crassa, tum impulsionem ad motum egent, quia pigra: ut pulcrè docet Gal. 3. simp. 18. & seq. Deducta. a. in actum quomodo agant, idem ibidem docet, modumq; ostendit duplicem, 1. ασφύγξιν seu αὐτοτοξίν Cordis. 2. σήψιν seu putrefactionem: quae tamē gemina causa ad unam reduci posset, Calidū sc. innati, quod in humido radicali subsistit, extinctionem & dissipationem, quae mors est. Arist. de V. & M. c. 4. Calidum itaq; venenum ita calefacit, ut calorem innatum dissolvat, vel inflammando, ut Euphorbium: vel corrodendo, ut Lepus marinus, quo Titum Imp. à Domitiano fratre interfectum esse tradunt. Frigidum ita refrigerat, ut eundem calorem extinguat, vel congelando sanguinem & Cor, atq; ita motum & sensum auferendo. v. g. opium, cicuta. Vel obstruendo meatus, ut spiritui aditus & exitus occludatur, v. g. gypsum, plumbū ustum, fungi. Siccum caloris nativi subiectum, sc. humiditas radicale, exsiccat, vel absumentudo illud, ut Calchantum: vel dissipando, ut Resogallum. Humidum deniq; eundem calorem obruit, obrundit & suffocat. Venena recondita qualitate ita efficiunt corpus, ut dum in eo actum suum secundum multiplicat, Facultatuum actus secundus aboleatur, primum extra Cor. mox in corde: & nisi occurratur, actus quoq; facultatum primus. Ita nimirum pro actu secundo facultatum viget actus secundus veneni.

### 4. An venena certas corporis partes petant?

Testatur Gal. 1. κατὰ γέννησιν 1. leporē marinum, pulmones, cambarides, vesicā, petere. Et 5. simpl. 19. dicit esse quadam Cerebri venena, quae copiosius sumta ferorem excitent, ut Crocus, Coriand. myrrha & c. Idem habetur. 5. simpl. 28. Et de ther. ad Pis. Quae tamen loca cum grano salis, quod aiunt, accipienda. Cum. n. dicitur, Venena certis partibus inimica esse; non putandum reliquis partibus ea omnino non nocere, neg. Cor. v. ita fontem efficiere: sed statuenda, quod effectus eorum in partibus illis ad patiendum aptius natis illustriores sint & manifestiores. Duplicia ergo faciemus venena. Quaedā primario ledunt

Cor:

Cor: secundario partes reliquas. Quaedam contra primario partem quandam determinatam, cui ob peculiarē facult. & ipsius partis dispositionem sunt magis inimica: secundario. a. Cor ipsum petunt.

### 3. Cur potissimum cor petant?

Ratio manifesta est, quod nimirum Cor sedes sit facultatis vitalis, quae per Spiritus vitales in unum corpus sese diffundit, & membra singula vivificat: venena. a. natura humana sint infestissima; ut ex definitione patuit. Sive igitur Spiritus vitales dissipentur, sive conspercentur, vel alio quocumq. modo afficiantur, immediata mortis causa, est sublatio motus cordis secundum diastole & systolen: ita quidem, ut venenum calidum tollat motum deorsum (i. e. systolen) cum sc. ratione caliditatis tantum sursum vergat, & ita nutrimentum deficiat Calori: Venenum frigidum tollat motum sursum (i. e. diastolen) dum deprimitur qu. ad infra Spiritus, & ita calor extinguatur, propter fuliginis retentas. Venenum a tota substantia, si sit formae similis, tollat motum deorsum, cum sc. agat ad similitudinem magne flammae in parvam. Sin dissimilis, tollat motum sursum, cum agat ad similitudinem veneni frigidi.

### 6. An venenum in corpore humano gignatur?

Veneri huius in vestigabimus autem materiale & efficiens. Materiale vel est contentum, vel continens. Contentum sunt omnes humores qui praeter naturam corrumpuntur, & quidem tripliciter. 1. Vel enim mutantur in Excrementum simile excremento naturali, ut cum sanguis vertitur in bilem flavam. 2. vel in Excrementum praeter naturale, v. g. in bilem vitellinam, arginosam, atram. Nondum haec venena sunt, quod natura humana nondum toto genere contraria evaserint: sed excrementa dicuntur, quatenus corpori alendo inutilia sunt, & purgationibus evacuantur. 3. vel denique, attingunt summum corruptionis praeter naturam apicem, & natura humana contraria induunt malignitatem, siquidem, venena. Sic Gal. 6. loc. aff. 5. semen & sanguinem menstruum retentum venena evadere multis probat exemplis. Ac alibi morbos in corpore humano fieri asserit tempore breviori: Venena longiori. Continens sunt partes solidae, quae purae sunt veneno infectae. Sic in gangraena emoriuntur partes solidae, & pedetentim vapor veneficus egrediens, alias etiam petit, tandemq. ad Cor accedens agrum interficit. Efficiens huius veneni unicum est, sc. Calor, qui autor est functionum, bonarum, si naturalis: malarum, si praeter naturam. Estq. vel in contento, ut cum quis mordetur a cane rabido: inest enim humoribus. Vel in continente, v. g. in febris pestilentialibus, scilicet in partibus solidis. Vel in utroque: ut cum morsus a cane, etiam rabie corrumpitur: In humoribus. n. & partibus solidis igneus ille calor haeret.

### 7. An

### 7. An Veneno quis nutrirī possit?

Tradit S. Empiricus, fuisse uenulam Atheniensem, quae 3xxx Cicuta sine periculo lesionis quotidie devoravit, quam historiam vis et v. p. attingit Gal. 3. simp. 18. Avicenna quoque mentionem facit puella, quae veneno (Commentator napellum fuisse dicit) enutrita, tantū contraxerit venenositatem, ut concumbentes secum interficeret. Ac meminit Scal. Exerc. 175. sect. 1. filij cuiusdam Regis, qui ex usu veneni (cuius nomen non exprimit) adeo factus fuerit venenosus, ut musca solo suctu cutim perstringentes, turgida interierint. Unde colligi posset, ex quotidiano venenorum in parua quantitate usu, tandem is aliquid assuescere posse. Sciendum tamen, Veneno proprie sic dicto nemine nutrirī posse: Re autem venenata posse. Cumque in rebus istis venenatis duplices sint portiones, & alimentales, & veneficae. possunt illa quidem cum in aliis animalibus, tum etiam in homine vinci à calore nativo, & partibus corporis assimilari. Haec verò non item: sed reponuntur in excrementa. Hinc est, quod movent auctores, non tuto vesci licere ovis gallinarum, quae scorpiones comederunt: quod sint venenata. Ac simile quid experimur in purgantibus, lac scilicet earum mulierum, quae scammonium, vel tale quid assumerunt, reddi purgatorium, quod lac inter Excrementa vitulæ recensetur. Ita omnino puella ista (sit enim vera historia: licet Matth. dubitet.) amasios suos interficere potuit salva, dum nimirum oscula figeret: vel cōredientes secum semine suo: Vtrumque omnino excrementum est. Ita filius ille Regis muscas interfecit humore, dum nimirum ille exugebant tertia concoctionis Excrementum. Neque verò semper necesse est, ut partes solidae inficiantur: (licet longo tempore id fieri posse, libenter concedamus.) Cervorum enim & aprorum carnes, licet illi vulnerentur sagittis venenatis, comedi tamen solent, modo rite preparantur. Ac referri huc posset illud Arist. 4. sect. probl. 13. cum Iuvenes hircos olere docet, quando ficius temperamentum acquirunt: ubi certè fator ille non in partibus solidis, sed Excrementis tertia concoctionis haeret, ut liquet de eo, qui fertur

Catullo

*Valle sub alarum trux habitare caper.*

### 8. An venena venenis antidota sint?

*Affirmat Ansonius, cum de Eumpina (Jos. Scal. Eunapia) adulter à sic canis:*

*Toxica Zeloypo dedit uxor mæcha marito*

*Nec satis ad mortem credidit esse datum.*

*Miscuit argenti let halia pondera viui,*

*Cogeret ut celerem vis geminata necem. Additque;*

*Ergo inter sese dum noxia pocula certant,*

*Cessit*

*Cessit lethalis noxa salutifera;  
Protinus & vacuos alvi petiere recessus  
Lubrica deiectus qua via nota cibus. &c.*

Plin. etiam de Aconito lib. 27. c. 2. Ea inquit, est natura, ut occidat hominem, nisi in ipso reperiat, in quod agat. Cum eo solo luctatur, velut pari intus invento, &c. Verum enim verò, non per se venena hoc praestant, sed per accidens: Quando enim aliud in corpore venenum reperitur, sibi contrarium, aut humores vitiosos, ad quos proprietatem obtinent: tunc inter se qu. pugnant duo venena in corpore, ut homo sic per accidens seruetur. Ita nimirum Hipp. hinc inde nos monet, corpora sana non esse purganda, quòd purgantia si non reperiat humores vitiosos, agant in laudabiles, sicq. molestia corpori exhibeant. Multum a. hic facit expulsiva natura fortis, a veneno irritata: Itemque, proprietates Individualis corporum; quantitas quoque & vis veneni, qua alibi fusus explicabuntur.

9. An non venena etiam purgant?

Distinctione hic opus est. Quae enim lenta sunt, & aliquandiu in ventriculo harent, plerumque vomitum excitant, interdum etiam alvi deiectionem, irritata scilicet facultate Expultrice per qualitatem aduersam. At qua celerrime è Ventriculo ultra Epar in venas ad Cor & Cerebrum abripiuntur, non purgant: celerius enim distribuuntur in genus venosum, & arterias remotas, quam ut alvum moveant: idq. vel propter substantia tenuitatem, vel propter utilem succum naturà aut arte admistum, vel propter peculiare causam, quae Cor & Cerebrum magis petunt. Deinde quae violenta sunt venena, malignitate sua aut partium ventris inferioris sensum stupefaciunt, & non irritant: aut earundem calorem naturà suffocant. Non purgat ergo, nisi forte SYMPTOMATICAM excretionem cieant: prostratis facultatibus naturalibus, quibus regi purgatio debebat, & humoribus commotis, vasq. apertis aut eros cum agri pernicio.

10. An venena possint dari ad certum tempus?

Agellius l. 6. c. 4. Regulum ait Romanis per mutationem captivorum dissuasisse, quòd sciret sibi venenum à Carthaginensibus datum, non presentaneum, sed eiusmodi quòd mortem in diem proferret. Ac modum quidem parandi Aconitum, ut ad spatium vnius, duorum vel trium mensium interficiat, docet Theop. 9. hist. pl. c. 16. Sciendum tamen: Pesse quidem infringi vires veneni, ut non tam cito, post aliquod verò tempus, quòd tamè latitudinem habeat suam, vires exerat: interim numerum dierum vel mensium tam exacte determinare non posse. Solec t autem venenis quae admodum quasi sana miscere, qui-

B

bua

bus aethio corum retardetur, ut sunt in glanades, oliva, Crocus, spbragis. In glan-  
 des enim & oliva pingui sua glutinositate illud irretiunt & illigant, ne ad Cor-  
 celeriter properet. Spbragis meatus internos obstruit, ut ad Exteriora vene-  
 num initio trandatur. Crocus roborat Cor, ne a veneno tam facile superari pos-  
 sit. Ut omnino talium admixtione venena tardari posse, sit probabilis. Ita scilicet  
 Caro in Ventriculo citius concoquitur, admixta sinapi: tardius, admixto  
 Ombacio. Hoc enim frigidiore sua calore naturam hebetat: illud calidi-  
 tate sua eundem excitat.

## COROLLARIA.

1. *Vfus Antimonij, qui lem describit Alex. Massaria, lib. 7. c. 30. non vide-  
tur FVTVS.*
2. *Quod Seneca dicit, 2. questi. nat. cap. 31. Animalia venenosa non ver-  
minare: id de vivis potius, quam de mortuis intelligendum. Serpentes e-  
nim & bestiones mortuos à muscis & formicis comedunt, ac vermes producere,  
videmus.*
3. *Phylva amorem per se non conciliat.*
4. *Toto errant calore, qui voracitate sua fieri putant, ut omnibus visis repletis  
venenum interiora tam facile subire nequeant.*
5. *Malignitas venenosa ab astrorum conditione non pendet.*
6. *Anniera quaedam persuasione magis, aut imaginatione, quam realiter  
& naturam suam evant.*
7. *Mulieres à venenis & morbis venenatis tardius insciuntur ob frigi-  
ditatem, dum via non ita facile patent.*
8. *Medicini natura minister naturalia tantum habet presidia. Qui plu-  
ra crepat, aut divina ea esse, aut magica, aut superstitiosa fatentur oportet.  
Divina (immediate scilicet) esse non possunt: Deus, n. hodie per media a-  
git: ideo medicinam creavit: & vir prudens non despiciet eam, Syr. 38. 1.  
Cor. 12. Hinc illud, Imponami massam sicum, & sanabitur ulcus. 2. Reg.  
20. Is. 38. Magica sunt ligature sagarum, specula crystallina. Superstitiosa  
sunt periammas, ut cruce, characteris varij, Evangelium S. Iohannis.  
Abracatabra, &c. Procul hinc procul ite profani.*

## QVÆSTIO.

*An omnium morborum solida medicina sit illa Chymicorum Mumia vita-  
 lis, Elixir vita, Balsamum vitale &c. Petrus Sever. Idea Phil. c. 2. Quercet.  
 in Pharmac. restituta? Si Galeno fidem nos habere fas est, contrarium ei  
 statuendum. Ille siquidem  $\nu\lambda\lambda\alpha\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\alpha\sigma\upsilon\varsigma$  3. Impossibile est, inquit, inveni-  
 re pharmacum ad multas affectiones optimum.*

AD DN. RESPONDENTEM:

**D**ira venena modo digitis qui tangit, habebis  
Protinus infectam vi perimere cutem:  
Es necat aspectu Basiliscus; & oscula figens  
In thalamo perimit virgo maligna procos.  
Ab procul hinc iuvenes; ne vos malus auferat error  
Precipueq; suâ virginitate trahat.  
Tu, qui NATVRAM RERV M SCRUTARIS acutè,  
Percurris manibus tetra venena tuis,  
HERVVIGI, calum, Pontum, terramq; pererrans  
Protrahis è latebris atra venena suis.  
Attamen hinc, mirum, non conspurcare. Venena  
Nulla; sed ore tuo dulcia mella flunt.

HELLIAS PVTSCHIVS Antuerpianus.

AD EVNDEM.

Anagramma binum.

TOBIAS HERVVIGIVS.

Aevi surgis obitu.

I! rato vigebis usu.

**I**psa etiam Mundi quassata senecta Veneno  
Persidia, lapsu corruet acta gravi.  
Corruet; Interea magno conamine surgis  
HERVVIGI, hoc ipso flebilis Aevi obitu.  
Testis Apollo mihi; testes & Apollinis artes;  
Quod multis è genio testis es ipse tuo.  
Maacte animi, HERVVIGI! te secla futura beabunt:  
Maacte! inuas laudes famaloquetur anus.  
I spes Peonidum! sic arte vigebis: & usu  
Grande rato exoriens appetet astra decus.

M. IOAN. - CHRISTOPH. GELLINGIVS.

AD DN RESPONDENTEM

D  
In nomine domini Amen  
Procurator generalis  
Hoc instrumentum  
Fuit actum in  
Praesentibus  
In diebus  
Fuerunt presentes  
Hic testis  
Actum in  
In testimonium  
Hic testis

Hic testis

AD EVIDEM

Ingenieur  
Totale Herkules  
Achtung  
In die

Es ist  
Herrn  
In die  
In die  
In die  
In die  
In die  
In die  
In die  
In die  
In die

Hic testis





Nh 1235.

oo

f



ULB Halle 3  
002 819 279



an 31 nur Verknüpfung JA → OL  
f1-5 + 40 Stück  
f23

VD 17 Me







<sup>lxv</sup>  
 DECAS  
 Quæstionum Medico-physicarum  
 DE  
 PENENIS IN GENERE.

Quas  
 D. O. M. A.

.. SVB TRÆSIDIO

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI,  
 DN. SIMONIS PETISCI, M. D. MATHEMATUM  
 in Celeberrimâ Heidelberg. Academia Professoris,  
 Facultatisque Philosophicæ ibidem pro tempore Decani spectabilis;  
 Patroni sui observandi,

Publico Philosophorum & Medicorum examini  
 subiicit

TOBIAS HERVVIGIVS Servestanus,  
 Philiatr. P. C.

Ad diem XXVI. Ianuarij.

IN AVLA MEDICA.



HEIDELBERGÆ,  
 E Typographeio Iohannis Lancelloti.

C I O I O C V.

*Ornatiss. Viro,  
 Dn. Joanni Bristen,  
 basio, p. fratri  
 suo cariss*

17

*Autor*